Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

[Sup. Iohm.] testimoniis. Aug. ait. Baptismus talis est qualis est ille in cuius po-
[In lib. de unico bapt.] testate datur; non qualis est ille per cuius ministerium datur. Item. Rursus
fieri potest ut aliqui verum habeant baptismum, et non habe-
[Aug. contra Cresconium grammaticum.] ant veram fidem. Item. Si inter bonos ministros cum sit alius
alio melior: non est melior baptismus qui per meliorem datur.
nullomodo malus est qui et per malum datur: quia idem baptismus
datur. et ideo per ministros dispares dei munus equale est. quia non
[Sup. Iohm.] illorum sed eius est. Idem. Cum baptizat malus illud quod datum
est unum est. nec impar propter impares ministros. sed par
[Aug. sup. Ioh.] et equale propter hoc: hic est qui baptizat in spiritu sancto. Item.
Ego dico et nos dicimus quia iustos oportet esse per quos bap-
tizatur: iustos oportet esse tanti iudicis ministros.
Sint ministri iusti si volunt. si autem noluerint esse ius-
ti et qui sedent in kathedra moysi. securum me fecit ma-
gister meus. de quo spiritus sanctus dicit. Hic est qui baptizat. ITEM.
Quos baptizat iudas. christus baptizavit. Si quos ergo baptiza-
vit ebriosus. homicida. adulter. si baptismus christi erat. christus
baptizavit. Non timeo adulterum. non ebriosum. non homi-
cidam: quia columbam attendo per quam michi dicitur: hic est qui baptizat.
Item. Quos baptizavit iudas. christus baptizavit. Item. Homi-
cida dedit baptismum christi. quod sacramentum tam sanctum est ut nec
[In lib. de fide ad petrum.] homicida ministrante polluatur. Item. Si in heresi quicumque vel
scismate quisque in nomine patris et filii et spiritus sancti baptismi sac-
ramentum accepit. integrum sacramentum accepit. sed salutem que
virtus est sacramenti non habebit. si extra ecclesiam catholicam
ipsum sacramentum habuit. Debet ergo ad ecclesiam redire. non